

## Werk

**Titel:** Syncretismi, In cap. 21. tractat. De Ratione Status Germaniae Modernaе a Nonnemin

**Autor:** Schmidius, Sebastian; Zentgraf, Johann Joachim

**Verlag:** Spoor

**Ort:** Argentorati

**Jahr:** 1670

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Gattung:** Dissertation:theol.

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN750576855

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN750576855>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=750576855>

**LOG Id:** LOG\_0003

**LOG Titel:** Consideratio Præfationis Ambrisetti ad B. L.

**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

sed cum in Catalogo Francofortensi & Lipsiensi inter scriptores eruditos comparere non sustinisset, neglectus, & dilata fuit responsio, qua denique prorsus indigna, ut revera est, *textura* ista visa fuisset, nisi chartam hanc, *qf. refutari nequeat*, apud malæ causæ socios falsò jaçtari audivissemus. Suam sibi jucundam phantasiam habere *Ambrisettum* permittimus, qui prorsus vana opinione inflatus se *Vincentium*, quasi vicerit, appellare non dubitavit, non tamen committere hoc possumus, ut cum veritatis detrimento, vana de ficto *Vincentio*, quasi vero, opinio ad plures serpat, & ingenuos quoque Lectores inficiat. Quare paucis vanitatem hominis nostri, latebras jam quærentis, cordatè, ceu eum, cui gloria Numinis, & veritatis victoria curæ cordique est, decet, detegemus. Æquum, Benevole & pacis in veritate fundatæ studiose Lector, iudicium Tuum nobis promittimus.

## Consideratio

### *Prefationis Ambrisetti ad B. L.*

§ 1. In satis longa brevissimæ tractationi præmissa præfatione, conqueritur *Vincentius Ambrisettus* de iniquitate quorundam Theologorum, quibus etiam mentio pacis Ecclesiasticæ & reconciliationis partium invisa sit. *Eo*, inquit, *acerbitatum hodie ventum est in religionis negotiis*, ut si vel mentio *Conciliationis aut majoris concordie* incidat, Theologorum multis, qui non inter postremos esse contendunt, *ilicibilem moveas*, & quod ajunt, *premente manu ulcus tangas*. Quam rem, si paula attentius considero, non possum non dolere præ veteris ævi moderatione, *insulas nostri temporis amaritudines*. *Augustinus Orthodoxus* quondam *Episcopus* queso, quam blande, quamque leniter in *Epistolis* *Donatistas* compellat, *Arrianos* aliosque sui sæculi *hereticos*, quos omni studio & arte ad *Ecclesie unionem* retrahere

\* conatus

conatus est, collatis benevole sermonibus, scil. ut Christi in his terris unicum esse posset, nec in varias sectas divisum ovile. Si hodie viveret, forte etiam Catalogo Syncretistarum connumeraretur, quod Donatistarum Episcopos non semel fratrum nomine fuerit condignatus. Ita *Ambrissetus*.

§. 2. Sed quis non sentit quam iniquè & acerbè, nec sine bile, Christianoque homine proisus indigno modo, noster Theologos istos pungat, qui iniquissimæ, Deoque invisæ reconciliationi, & concordiaë impiæ, cum in Fidei fundamento errantibus ineundæ, se hodie ad exemplum Apostolorum & priscorum Patrum, *Polycarpi, Athanasii, Cyrilli, Augustini &c.* opponunt? Sistat Theologos quibus mentio conciliationis legitimæ, & majoris non tantum, sed etiam veræ concordiaë, bilem moveat, nec se ab hoc ἐκκλησιαστικῷ liberare potuerint, illis ulcus quo laborant manu premi non repugnabimus. Certe *Max. Venerand. Dn. D. Præses Argentinensis* noster, quem *Ambrissetus* admordet, tantum abest ut hætenus bilis aliquid in pios Conciliatores effuderit, ut ne quidem impiorum quendam nostri seculi Irenicorum læserit, nisi quod nuper præsidium *Schragmullero* non denegaverit, ut, licet hætenus, causam hanc aliis strenue agentibus, tacuisset, minime tamen ejusmodi in verbo Dei condemnatæ conciliationi se favere, palam faceret. Certe *Ambrissetus* bilem ipsi motam nunquam vidit, etsi ei contra Virum innocentem vitio bilis commotæ aliquid, minus tali qui Orthodoxus esse vult dignum, acciderit. Justa tamen est bilis Theologorum contra immaturos istos & male sanos mediatores, quos *Ambrissetus* per τὸ hodie intelligit, quorumque numero ipse continetur, licet illi minus talis videatur. Cæterum quare, ut imperitis imponat, ad *B. Augustinum* noster provocet admiror. Disputavit contra *Arianos* & alios hæreticos, eosque ad unionem Ecclesie retrahere studuit, sed num relicta illis sentiendi libertate, prout *Constantin. M.* primò concordiam reducere moliebatur, hanc unionem tentavit? num hæreticos illos esse, & in fundamento fidei errare negavit? num *Donatistas*, cum erroribus auctis pertinaciam damnabilem contraxissent, fratrum

*nomine* ulterius dignatus fuit? non sane. Illis Theologis opponas, *Ambrosiæ*, Augustinum, qui ut hæretici abjectis erroribus redeant ad Ecclesiam ne quidem optant, non illis, qui errantes pertinaciter in fundamento fidei, quales sunt Romanenses & Reformati, recipere, tolerata in illis hæresi, ob divinum interdictum non sustinent. Proinde *Catalogo Syncretistarum*, quibus ovile Christi in varias sectas divisum videtur, quod Augustinus tamen pro uno & indiviso, ab hæresibus licet infestato, semper habuit, minime B. Præsul erit connumerandus. Tuum verò *Proœmium* Syncretisticum esse, & Syncretistas contra Orthodoxorum & cordatorum Theologorum, malitiam horum hominum, & calamitates, quæ veram Ecclesiam, quam proprio tamen sanguine Deus redemit, Act. 20. à pravis eorum artibus manent, luci exponentium candorem, nil aliud quam injustas querelas, ab acerbitate & bile motæ venientes, proferre posse, omnes boni, & quibus cum Imperii salute Ecclesiæ præprimis salus curæ cordique est, judicabunt.

§. 3. *Atque*, pergit noster, *mirum dictu nostra hae ætate non eos tantum, qui universalem Ecclesiam per orbem diffuse suadent optantque unionem, sepe in vulgus vapulare, sed & eos qui Politicis rationibus moti, hanc talem concordiam Imperio nostro precantur, existimantes hinc multum boni in Reipublicam redundaturum esse.*

§. 4. Verum, *Ambrosiæ*, quinam sunt illi, qui ob pium desiderium concordia, & votum unionis Ecclesiarum verbo Dei conformis, in vulgus vapulant, & quinam sunt illi viri Politici? Sed manifestum est, sub speciosa hac larva eos, qui impiam, Deo invisam, & cum veritatis præsentissimo interitu conjunctam concordiam urgent, tegi, quod ulterius noster prodit, quando illis *Virum*, ob conatus Syncreticos merito accusatum, sequentibus annumerat verbis.

§. 5. *Inter quos vix ignotus Tibi erit, benevole Lector, Viri Nonneminis, nobis Amicissimi, tractatus de vera & varia Ratione status Germaniæ modernæ conscriptus,*

*quibus*

cujus Cap. XXI. *Autor ille recte atque ordine asseruit, publico Imperij statui non parum profuturum, se omnibus nervis in id laboremus, ut religiones publicis legibus receptas, quas hodie tres novimus, Romano Catholicam, Lutheranam & Calvinianam, coadunirentur, atque in concordiam revocarentur.*

§. 6. Unam religionem, veram nimirum, si per adversariorum pertinaciam ea obtineri posset, publico Imperij statui non parum profuturam esse, concedimus, cum omnis societatis vinculum, & justitiæ fundamentum sit religionis veræ unitas; at propterea hæreticorum & orthodoxorum Ecclesias consociandas esse negamus. Et labor pro *εὐωσὶ* partium dissidentium susceptus absolute loquendo bonus equidem est, laudeque dignus, sed ob pertinaciam adversariorum unio frustra aliquoties tentata fuit, nec ob eandem hodie, maxime post *Pacificationem Osnabrugensem*, meliora sperare licet, tam Romano-Catholicis quam Calvinianis pertinaciter suis principiis inhaerentibus, quare præter votum, meliorem occasionem, atque tempus, nihil nobis relinquitur.

§. 7. *Verum*, inquit *Ambrissetus*, quia quodammodo prævidit non de fore, quibus consilium istud minime fuerit ad palatum, expresse hanc adjecit declarationem in fine d. c. 21. se hanc assertionem sic intellectam velle, quatenus liceat salvis fidei principiis fundamentalibus diversas illas religiones sub unam redigere, arbitratus hinc se ab omni sequiore censura satis tutum fore atque inimmunem.

§. 8. Atqui omnium etiam Syncretistarum hæc est declaratio; cum nullus eorum dicere sustineat, se errorem fundamentalem errantes, ut tales, cum orthodoxis unire velle, sed quatenus liceat salvis fidei principiis fundamentalibus id facere: & tamen hac declaratione non obstante, cum Evangelicos à Reformatis & Romanensibus quoad fundamentalia fidei dogmata dissentire non credant, sine facta prius ab illis errorum hæreticorum anathematizatione, unionem partium dissidentium, h. e. crassum Syncretismum, moluntur. Eadem cum *Ambrissete*, Amici tui, fundamentalem con-

sentum partium credentis, mens sit, uti dict. c. 21. & tua praesens tractatio docent, hac declaratione non obstante, etsi ut imperitis imponat, videri velit aliud praese ferre, jure ejus conatus tanquam Syncretisticus reprehenditur, nec à justa censura immunis esse debet.

§. 10. Sed inceptam telam continuat noster, *Ceterum*, inquiens, cum in propatulo esset insuper rei gerendae difficultatem objectum iri, ab illis, qui lites quam concordiam malunt, amicus ille noster speciales quasdam religionis controversias adduxit, ex quibus ponderatis hinc inde fundamentis, candido lectori constare posset, vulgares rationes tanti faciendas non esse, quo minus pium illud Ecclesiae pariter ac Imperio utile conciliatiouis negotium reapse suscipiatur.

§. 11. Et hic se noster, qualis homo sit, rursus prodit, Syncretista sc. certe Syncretismi fautor, quippe qui non sine injuria iis, qui impiae haereticorum cum Orthodoxis unioni se opponunt, amorem litium & odium concordiae objicit, qd. illi hoc nomine tantum difficultatem hujus negotij praedicarent. Et specialium ista religionis controversiarum ab amico Ambrissetti instituta consideratio docet, vulgares, quas vocat ex *πλᾶνία* & arrogancia noster, rationes sic impugnari, ut fundamentalibus fidei principiis labefactatis, impia ista, verbo divino contrarias sine praevia haereticorum errorum anathematizatione & abnegatione ineunda, Deoque invasa conciliatio, h. e. Syncretismus suadeatur: Vid. dict. tr. c. 21. quod monstrum, cum sub suis plumis abominabile appareat, sub ficto *publica utilitatis* in Imperium redundaturae schemate suo lectori insidiosè commendare non veretur.

§. 12. Satis equidem Ambrissetus cautum esse credit, cum scribit: Ipse tamen in illo scripto haecenus vix aliquid determinavit, quae religio alteri in hoc vel illo articulo, salva conscientia cedere posset, sed hanc questionem tanquam fori Theologici existentem caute suspendit, ab eaque manum absti-

nuit,

mit, expresse circa finem relati c. 21. protestatus, quæcumq;  
hac de re ibi scripserit, accipienda esse citra cuiusvis, ex illis  
religionibus in se spectatis præjudicium.

§. 13. Non mirum est Jctum nostrum non determinasse, quæ  
religio alteri in hoc vel illo articulo, salva conscientia cedere posset, cum  
vi hypotheseos fundamentalia fidei inter partes dissidentes sal-  
va ponentis, id non opus æstimaverit, non verò quod crederet  
hanc questionem esse fori Theologici, uti equidem ad fallendos alios  
fingit Ambrissetus. Cum enim plurima dicti c. 21. sint æquè solius  
fori Theologici, atque illa determinatio quæ religio alteri cedere debeat,  
cuius cum hoc nomine questionem hanc suspenderit, non etiam à re-  
liquis quæ in d. c. 21. extant manum abstinuit: Reliqua merentur  
risum, quasi Nonnemo magnum religionibus præjudicium face-  
re possit; Romano-Catholici certe, & cordati Reformati ejus  
judicium seu præseu post parum curabunt.

§. 14. Colligere igitur hinc poteris, pergit Noster ulterius  
cordate lector, quenam sit vera nostri Nonneminis  
hoc in passio sententia: Nimirum religionum concilia-  
tionem in Imperio procurandam esse vel omnino,  
si convenire queamus, vel saltem aliquam ad effe-  
ctum majoris concordia civilis. Conf. d. c. 21. p. 691. & 690. ac  
691. Non quasi pars recte sentiens alterutro illo casu ad castra  
errantis accedere debeat, d. ut beneficio rectioris colloqui ac  
stringentium rationum, errans ad consentiendum non er-  
ranti, placide tandem permoveatur. Quæ igitur religio  
per omnia recta est, huic non præjudicatum voluit Autor  
noster, quo minus in omnibus ad eam fiat accessus, præsertim  
in his, quæ de fide sunt, vel creduntur absolutum fidei fun-  
damentum concernere. Sane hoc sensu, etiamsi fundamen-  
talis dissensus inter religiones, quas diximus, citra ullam  
conversionem intercederet, nihilominus sine dubio cunctis vi-  
ribus in id incumbendum foret, ut vel totalis, vel aliqualis  
proveniret unio.

§. 15. In oprativo convenimus utrinque, Ambrifette, neque nobis persuadendum est, studium pacis veræ, & concordie Ecclesiasticæ in Imperio desiderium, *astota difficultas in indicativo hæret*, scripsit olim B. Dn. D. Danhavver. ad *Duraum* Prodiorth. Epist. 1. ita ut re toties frustra tentata, si genium adversariorum consideres, parum spei superfit *totalis futuræ conciliationis*. *Aliqualis autem consensus, relicto nihilominus in fundamentalibus dissensu*, Syncretismus est, & ad veram unionem haud sufficit: ignorasne Calvinianos, etiam ab Orthodoxis paucioribus dissentiant quam Romanenses, non tamen sine ingenti contradictione Paci Religiosæ esse inclusos? Qua fronte autem *Non* memo ille Orthodoxos & pios Theologos pungeri sustinet, quasi colloquia, quibus hactenus concordiam quaesiverunt, minus *recta, rationesque illorum minus stringentes fuerint?* vidit nimirum parum profici colloquiis illis rectis, & solidis rationibus, quibus nostrates hactenus fuerunt usi, unde *rectius colloquium & stringentes rationes urget*, se: ad normam colloquii Castellani 1661. habiti, quod valdè laudat tr. c. 21. p. 659. ibique rationem præscriptam, quibus *errans ad consentiendum non erranti placide tandem permoveatur*. Non enim vult ut si Romano Catholicus fueris, Lutheranus vel Calvinianus, ubi ad ipsum punctum Christiani amici colloquij ventum est, disputando tuam præcise sententiam defendas, & quicquid alter dicat, ab ea *diversum verbis convellere in animo habeas*, dict. tract. p. 660. hoc cordate Lector, est *rectius illud nostri Nonnemini colloquium*. Et cum idem de religione per omnia *recta* agens nullam nominet, haud obscure innuit, se cum Doctore suo, cuius principiis gaudet, nullam pro tali agnoscere. Denique quid sibi volunt verba hæc: *etiamsi fundamentalis dissensus inter religiones citra ullam conversiam intercederet?* cur non dicit, quod *intercedat talis?* Judicet & hic candidus lector, cui artes scriptorum, qui venenum tacite & subtiliter instillare conantur, haud ignotæ sunt, annon *Autor* istius tractatus de *Ratione Status German.* pestilentem illam opinionem de fundamentalis inter dictas religiones consensu foveat. Certe res illi adhuc controversa, nec à nostratibus satis evicta videtur. Ita enim personatus *Ambrisettus*.



§.16. Jam verò cum adhuc valde controversatur, num religiones Imperij in fundamentis discrepent, uti quidem autor noster in hunc finem aliquot controversiarum merita, sed sine decisione retulit, videt quilibet, quanta cura Imperio esse debeat studium componendarum religionum, videt etiam quilibet, Autorem nostrum sic vere, & Tractatui suo conformiter declaratum, non posse citra absurditatem, & calumniam impugnari, tantoq; minus cum idem nullibi absolute, universaliter & assertive posuerit, inter nostros, Romano Catholicos & Calvinianos, non esse in fidei fundamentis ullam differentiam, sed hæc potius verba: quid enim si adversarii ostendantur in fidei fundamentis nobiscum convenire? Quid si probetur differentiam NB. magis esse in quæstionibus circa fidem &c. quæ utique citra vel Syncretismi, vel Anti-Syncretismi approbationem, tanquam in re valde controversa ponere potuit, p. 662. d. tract. sua fecerit.

§.17. Quid tum postea? Nolint licet Syncretistæ dissensum fundamentalem admittere, solide tamen ille est probatus, & cum nullus Syncretistarum vel Dn. D. Calov. Syncretif. Calixtin. vel B. Hunnij Diascepsin, vel B. Hülsemanni Calvinif. Irreconcil. vel B. Dannhavv. Salve Reformat. & Sigalion. vel alia Anti-Syncretistica nostratium scripta hactenus impugnare sustinuerit, pro demonstrato habetur, & jure habendus est. Ridiculus autem est Ambrissetus, quando Autorem vere & tractatui suo conformiter declaratum, quodque nullibi absolute, universaliter & assertive posuerit, inter nostros, Romano Catholicos & Calvinianos, non esse in fidei fundamentis ullam differentiam, citra absurditatem & calumniam impugnari non posse, scribit; non dicam hanc declarationem esse Syncretisticam, ut ostendimus, sufficit quod subtiliter instillare Syncretismum conetur Autor, dubium reddere tentans Lectorem in illis, quæ puritatem religionis, ejusque à Syncretismo immunitatem

Concernunt, dicendo rem esse valde controversam, num tres Imperij religiones in fidei fundamento discrepent. Amplior causa est, si ut idem fecit, asseratur, propinetur, in quibusdam, & quidem præcipuis fidei capitibus, in d. tract. c. 21. adductis, non esse, ut Nostrates credunt, in fidei fundamento differentiam; in quo enim adhuc secundū eum fundamentalis dissensus supererit, si controversias eas celebriores, ex quarum meritis Amicus Ambriseti, rem esse adhuc valde controversam, ostendere sudavit, exceperis? Nec juvat eum sic absolute quærere: Quid enim si adversarij ostendantur in fidei fundamento nobiscum convenire? nisi enim putet id fieri posse, prorsus inepta est quæstio; item quando quærit: quid si probetur differentiam NB. magis esse, in quæstionibus circa fidem? certe illum credere necesse est, quasdam quæstiones, quas Nostrates de fide esse contendunt, probari posse esse circa fidem. Quæ omnia confirmant autorem fundamentalem partium consensum statuere, & sic crassum Syncretismum suadere, quando vero noster suum Amicum sine Syncretismi vel Anti-Syncretismi approbatione, ista verba sua, facere posse dicit, sic eum Neutrum, adeoque non nostrum facit, unde rursim jure, sine absurditate etiam impugnari potest, cum in Theologia Neutralismus nullum inveniatur locum, qui enim non est pro nobis, est contra nos.

§. 18. Sed ulterius tumultuatur Ambrisetus: Nihilominus tamen inventus est nuper, natus natus quidam Schragmüllerus Spirensis, quem referunt antehac ex Giessensi Universitate, & minime quidem Syncretistica, nescio quo rubro sigillo pulsum Argentinam concessisse. Hic ad negotium concordie religionum, quæso quantillus homuncio, ausus tamen est consilium nostri Amici publicæ disputatione vellicare, & ut sibi insulsus persuadebat, forsan animum addentibus suis, quorum erat studia ipsius dirigere ac moderari, plane enecare.

§. 19. Quæso quis magis natus natus aut natus? Ictus ne qui rem ar. religiones Imperij Romani in fundamento differant, valde controversæ

*proversam esse statuit, probarique posse putat, quod adversarij in  
 fidei fundamentis nobiscum conveniant; aut quod saltem magis dif-  
 ferential in questionibus circa fidem sit; an Theologiae Studiosus, qui  
 considerationem rei ad suum forum pertinentis suscipit, & isti  
 nasum vellicat? Et quid, si forsan ii, quorum erat studia ipsius mo-  
 derari ac dirigere (in quibus si Ampliss. Dn. D. Praesidem dispu-  
 tationis numerat, iniqua sane suspicione fallitur) animum addi-  
 dissent, num propterea male audiant? Tamdiu etiam ille non  
 insulsus erit, quod Syncretismum Nonneminis (li plane de suo adje-  
 cit Ambrissetus) à se enectum credit, donec noster Pseudovincencius  
 nihil illius enectum esse demonstraverit, quod hactenus non præ-  
 stitit. Quod Schragmullerum ex Universitate Giessensi minime Syn-  
 cretistica sigillo rubro Argentinam pulsum dicit, nostro probandum  
 relinquo, cum hac de re mihi nihil constet. Sic sane eum Ar-  
 gentinae vixisse accepi, ut solenne auditorium ei denegari non  
 potuerit. Fingamus etiam notatum, sed sine infamia, num propter-  
 ea non admittendus ad exercitium fuerit? Sed, Ambrissete, quo  
 sigillo, quave cera tu dignus eris, qui contra leges Imperii  
 sub falso nomine, bonorum famam lacerare non dubitasti. Pro  
 sua rerum Germanicarum notitia dicet Tibi procul dubio Tuus  
 amicus, quid de ejusmodi libellis in Comitibus & Recessibus Im-  
 perii sancitum fuerit. Condonasset tamen Ambrissetus Schragmül-  
 lero peccatum, si grande scilicet Excellent. Dn. D. Praesidis ejus pec-  
 catum abfuisset. Ita namque Noster.*

*§. 20. Potuisset equidem tyrocinio scioli facilius condo-  
 nari vitium nostro seculo pro dolor valde familiare, quo  
 bonos viros vel inter rudimenta sua nonnulli perstringere,  
 & tantum non citius dissentire assuescunt, quam sentire, ve-  
 rum ubi non Schragmülleri solum, sed & Theologi Nonne-  
 minis grande Nomen, qui certe prudentius tacuisset, dispu-  
 tationi isti prepositum vidimus, decuit scriptum scripto  
 opponere, & causam amici, qui nisi certis rationibus ac-  
 quiesceret, id genus ineptias ipse facilius confutaturus  
 erat, pro virili defendere.*

§. 21. *Ambriſette*, quantum *viti*, quod *ſeculi* vocant, Tu & Amicus Tuus contraxiſtis. De Te conjicio, de Amico autem Tuo, qui mecum unâ in eodem auditorio Academico fuit, ſcio, quod annos ſenii nondum habeatis; nec tamen veremini à Theologis orthodoxis, de Jeſu Chriſti Eccleſia optime meritis, & cum eruditione, tum ſenio graviffimis, quos Profeſſores Studioſi ſine languine revereri debuiſtis, diſſentire in hoc ipſo concordia negotio, etſi profiteamini vos *nihil aſſerere*, h. e. ſentire & intelligere. Quod omnibus licet, & *Schragmüllero* licuit, veritatis ſc. gratia diſſentire, ea maxime tempeſtate, qua jam motæ ſunt controverſiæ, quaque juventus Academica contra Syncretiſtarum artes, conſilia pernicioſa & errores munienda, ſe exercere opus habet. Caterum quod genio tuo indulgens de *Theologi Nonnemini* *grandi nomine* cavillaris, Te animi proſus impotentis, minimeque Politici hominem eſſe prodis. Summus ille Theologus, ſive grande, ſive parvum Tibi ſit *nomen* ſuum, parum curat, judiciumque Tuum, quo *prudenter tacuiſſet*, omni judicio vacuum æque ridet atq; cavillum. Quare non tacuerit, rationes habuit, quas ignorans præcepſiſti judicium. Tum demum ſumme Venerandus Præceptor noſter *imprudenter* ſe feciſſe fatebitur, quando, quod male fecerit, *Ambriſettus* melius probaverit, quam modo præſtitit. Id quidem putat *decurſe ſcriptum ſcripto opponere*, & *cauſam amici*, qui niſi certis rationibus acquieſceret, id genus *ineptias ipſe ſaſilius confutaturus erat*, pro virili defendere. Atſ, hoc cene eſt ſcriptum ſcripto opponere, cum *veſpertilio & lucifuga* ſub ficto nomine contra ſolennem diſputationem calamum temere ſtingit? Et quaſo, quaenam ſunt *cæcæ illæ rationes*, quibus motus amicus acquievit? vix credo ſilentium illi injunctum eſſe, ut *perſonatus quidam Ambriſettus* neceſſe habuerit prodire & furmos vendere. Largiter tamen & hunc, occupatum licet circa *iniquas* ſc. confutandas, donec inceptam telam perficeret, ſudafſe arbitror. Si infelix hæc & inepta textura tanto conſiterit labore, quid Tibi, benevole lector, in re ſeria & gravi à noſtro promittes?

§. 22. Caterum rem ſtrenuè geſturus primo omnium diſputationis

nis Praefationem ab Ampliff. Dn. D. Praefide adjectam notare voluit. Respondentis enim praeloquium ineptias confuturo tam ineptum non fuit, ut illud adoriretur, satis habuit *calumnias & nugas plus quam amiles* vocasse, Pl. Vener. Dn. Praefidis praefatio inter immeritissimo, quod fingit, jure notanda fuit. Ita enim Censor. Praeses hic, inquit, *Argentinensis mox in exordio protestatur disputationem illam à se non elaboratam, imo sine ipsius praevio vel instinctu vel suasu à Schragmüllero susceptam atque conscriptam.* Verum hoc est; sed quid ad hæc Ambrissetus? *Dubitassem, subjicit, hac de re, insuitu tam arduæ materiae meo judicio studiosi laboribus non sat tuto committenda. sed Viri auctoritas & frigidior scripti contextus, qui vix micam aliquam Professorii acuminis sapiebat, apud me, salva tamen aliorum sententia, fidem dicto meruerunt.*

§. 23 Verum PseudoVincenti, si quando Praefidis Argentinensis memineras, officium quo Amplissimus Vir in Conventu Ecclesiastico Argentorati fungitur, tacite pungere in animo habes, denuo animi Tui impotentiae insignis specimen edis. Quare autem *dubitasses* de disputatione à Schragmüllero elaborata? *nisi, ais, viri auctoritas & frigiditas contextus fidem dicto meruissent.* Non sane vir Excellentiss. ut Tu, in more positum habet fictum mentiri nomen. *Intuitu, inquis rursus, tam arduæ materiae, studiosi laboribus non sat tuto committenda.* Annon vero & Tu tam arduam materiam, cui impar es, Amici Tui, qui tamen Theologus non es, defendendi gratia, *pro virili ausus es suscipere.* Quid ergo miraris Theologiae Studiosum materiam sui studii pro virili suscipere, & veritatem à præceptoribus traditam defendere ausum fuisse, maxime cum subsidiis & scriptis Gravissimorum Theologorum, quæ passim allegavit, non destitutus fuerit. Credere tamen vis *salva aliorum sententia.* Mirum caput! quasi verò Lucifugæ auctoritas aliis multum præjudicare possit. Contemtum denique satis habet Respondentem Noster, cui tamen *aliquanz Professorii acuminis micam,* quam nondum ille quidem affectavit, non prorsus negaverit, *quis, inquit, vix micam aliquam Professorii acuminis sapiebat.*

§.24. *Neque tamen, ulterius murmurat Ambrissetus, idcirco Præsidem à disputationis defendendæ necessitate absolvendum arbitror, quippe quam suam is fecit, si non conceptione, saltem publica approbatione.*

§.25. *Sed si Autor de Ratione Status à defensione sui tractatus, ob nescio quas rationes, quibus acquievit, absolvi potest, quod Ambrissetus modo fecit, quidni Ampliss. Dn. Præsides disputationis suas quoque habere poterit solidas rationes, propter quas à necessitate defendendæ disputationis, à se non conceptæ, absolvi queat? Verum suam fecit si non conceptione, saltem publica approbatione? annon verò & Ambrisseti tractatum suum fecit plane conceptione, & tamen à defensione fuit absolutus? Et quæso, Ambrissete, expone, quousque à Dn. D. Præside approbatam istam dissertationem acceperis. Non omnia statim plane approbant Præsides Academici in Studiosorum exercitiis Academicis: Analogiam fidei observant, & à Studiosis teneri monent, quod & Censuræ est officium; in iis verò quæ ad fidem non spectant, vel controversa sunt, permittere possunt, ut aliorum maxime auctoritatem secuti, modeste ab ipso Præside dissentiant; ut de stylo, & aliis non dicam.*

§.26. *Sed accedit, quod in Amicum nostrum valde injurius extiterit, Tum propter adversarium, quem ei opponit tyronem, satis pro Imperio, quasi sc. aliarum Universitatum, aliarumque facultatum Professores ex arbitrio Theologi Argentinensis, antagonistas sortirentur, tum etiam propter sinistrum judicium, quod opinor magni equidem non aestimat noster ille quem defendimus autor, sc. cujus judicium de censore isto vicissim liberum est.*

§.27. *Sed quæ de injuriis hic coacervantur, tantum obligant Ampliss. Virum, ut vel injurias agnoscat, vel non esse ostendat, minime autem ut ipsam defendat disputationem. Cæterum ingenii lubrici hominem nostrum esse rursus patet; supra enim credidit sine Ampliss. Dn. D. Præsidis prævio vel instinctu vel suasu*

Respondente thema susceptum, elaboratumque fuisse, qua fronte ergo jam dicit, quod Amico suo adversarium, & quidem pro Imperio opposuerit? αυτοκατακριτ & est noster, Plur. Vener. Dn. D. Præses Argentinensis, autem ab injuria imposita liber. Egregia præterea est consequentia: Dn. Præses in Præfatione dissertationi adjecta *sinistrum de Amico AmbriSETTI tulit iudicium*: Ergo tenetur ad defendendam Schragmulleri disputationem sine suo instinctu, sed sponte sua ab eodem susceptam: cur non & Carmina, quæ subjecta fuerunt defendere tenetur? Denique quare non licebit Theologo in materia fori Theologici de Jcto, & πολυπραγμονι, & ineptiente in rebus ad suum forum non pertinentibus, & alios seducendo, ferre iudicium? cum huic etiam liberum sit iudicium de Theologo male de quaestione juris civilis sentiente, aut illud, cum tamen velit videri, non intelligente. Seu verò hoc iudicium de Jcto Altorphino AmbriSETTUS æstimaverit, seu minus, parum curatur, satis est verum esse. Multi namque sunt, qui quod sunt, & esse deprehenduntur, esse nolunt.

§. 28. *Non possum, pergit noster personatus, autem non maxime demirari tam futiles censura causas, quibus nostrum alter ille Nonnemo perstrinxit, quasi sc. Calvinianorum sententiam de absoluto decreto minus dextre allegasset, cum tamen videre non liceat, quidnam in re ipsa Reformatis amplius tribuerit, quam nostræ partis Theologi per consequentiam absoluti decreti iisdem adscribere solent, cuius quidem quod mixere, vel in hac ipsa adversarii disputatione non absimilis exposita est declaratio. Pone vero Calvinianos, uti adversarius veretur, negare illam phrasin: reprobos salvari non posse etiam si bene agerent. Quid tum postea? Anne ob eam causam ignorantia insimulandus est, qui sic loquitur ex præsuppositione absoluti decreti? Queratur quæso & hoc ex Calvinianis, num abnegent naturarum in Christo veram unionem, num verba sacra Cæne contra genuinum sensum detorqueant, & quæ alia sunt*  
*plures.*

*plura. Utrique non negabunt tantum, sed & calumniam appellabunt, si quis ipsis hoc tale aliquid imputaverit. Jam cum Dominus Præses, quando id facit ex præsumpta consequentia unionis personalis, aut ipso tenore Dominica institutionis, nullam hinc ignorantia notam subire velit, quare ergo alterius famam in simili casu arroderi non est verendum? Ut nunc taceam si recentiores Calviniani, quos ipse tamen haud quaquam mitiores esse vult veteribus, hoc phrasi releventur, id cause Domini Præsidis plus damni quam auxilii allaturum, cum sic unio futura sit tanto facilior, quam ipse tamen adeo sollicitè impugnat.*

§. 29. Valde fudat Ambrisetius in defendendo amico, sed infelici successu. Laudo quod consequentias ex hypothesi adversariorum factas in Theologia agnoscat; dubito tamen num id facturus fuisset, si aliam elabendi rimam se habere posse putasset. Sane si Amicus ejus, aut quicumque Syncretistæ, has agnoscerent, non tantopere adversarios excusarent, nec pro fratribus, sed pertinacibus & convictis eos haberent. Sed notabimus hanc consequentiarum approbationem, alibi nobis forte haud futuram inutilem! Frustra tamen se noster ad consequentias recipit, cum non de consequentiis ex hypothesibus Calvinianorum deductis, sed de ipsa Calvinianorum sententia, Dicunt Calviniani, inquit Autor d. tract. pag. 860. Electos debere &c. inter quas discrimen aliquod admittere nostrum opinor, agatur, & hanc amicus Ambriseti minus dextre allegasse dictus fuerit. Frustra quoque Theologos nostræ partis in subsidium vocat, quorum verba adducere debuit persuasurus aliis, plus Amicum non tribuisse in re ipsa Reformatis, quam nostrates Theologi illis per consequentiam adscribere solent. Nam præterquam, quod modo dictum, non per consequentiam, sed simpliciter Amicum nostri Reformati ista tribuisse, Pl. Vener. Dn. Præses in præfatione expresse scripsit alios, h. e. nostrates Theologos, prudentius & cautius de Calvinianis esse locutos. Producat autem adversarius ex Orthodoxis, qui (NB.) dixerint aut scripse-



scripserint, Calvinianorum de Electione hanc esse sententiam,  
 Electos debere suam Electionem simplici alicui prædestinationi divine,  
 ut reprobos etiam suam reprobationem, sic ut etiam si electi male age-  
 rent, non possint tamen condemnari, uti nec contra prædestinati ad con-  
 demnationem, quomodocunque etiam se gererent, salvari? Quis no-  
 stratum sic unquam scripsit? Lege Ambrissete, quam prudenter  
 & caute nostra Formula Concordiæ loquatur. Qui, inquit, rationis  
 suæ iudicium in hoc negotio sequuntur, in horum cordibus hæc perni-  
 ciosæ cogitationes, ( quibus ægerrime resistere possunt ) excitantur.  
 Si, inquit, Deus me ad æternam salutem elegit, non potero damnari,  
 quidquid etiam designavero. Contra vero si non sum electus ad vitam  
 æternam, nihil plane mihi profuerit, quantumcunque boni fecero: omnes  
 enim conatus mei irriti erunt. Ita prudenter nostra Formula Con-  
 cordiæ; cui tamen, tanquam contra Calvinianos nimis rigorosæ,  
 forte nec Ambrissetus, nec Amicus subscripserunt. Vanum est,  
 quando in re ipsa plus non Amicum suum scripsisse, quam Nostrates,  
 subicit, res enim ex verbis iudicanda, & quid in imperfecta lo-  
 cutione desideretur, Præfatio Ampliff. Dn. D. Præsidis ostendit, id  
 quod Noster tanquam prunas transiit. Nec debemus ponere  
 Calvinianos negare phrasin Amici, quam certo negant. Quæran-  
 tur Reformati. Quid tum postea? inquit, ane ob eam causam igno-  
 rantie insimulandus est, qui sic loquitur ex præsuppositione absoluti de-  
 creti? Sic, aut ignorantie aut calumniæ: si illud tanquam do-  
 gma domesticum, & propria ipsorum sententia, ( nam de conse-  
 quentiis, aut cogitationibus, quæ ob talem doctrinam exoriri  
 possunt, sermo non est ) illis tribuatur. Frustra vero objicitur,  
 quod etiam negent se abnegare naturarum in Christo unionem, & de-  
 torptionem verborum S. C. & si Dn. Præses, quando tale quid ex præsumpta  
 consequentia ipsis imputat, nullam ignorantie notam subire velit, quare  
 ergo alterius famam in simili casu arrodere non verecundatus fuerit;  
 jam enim diximus Autorem non consequentiam fecisse, sed Calvi-  
 nianorum sententiam, quid sc. electi Reprobive credere debeant,  
 exposuisse. Quid autem sibi vult ista præsumpta consequentia? ve-  
 reor, ne quid monstri Syncrētistici alat noster, & nostratum con-  
 sequentias, ex hypothesebus Calvinianorum de unione personali,  
 C factas

factas; pungat; qui *presumptam*, quam bonam, *consequentiam* dicere maluit, præprimis si cogito, quanto per Syncretistæ ejusmodi consequentias elevent. Et quare inter consequentias ponit *detorsionem verborum S. C.* cum ipso facto, non per consequentiam demum, *σφερότητα* istam Reformati committant? Non deniq; ferit istud τὸ βιάιον *Ambrisetti*, quasi, si Calviniani hac phrasi *releventur*, sic unio tanto facilius futura sit; ad rem ipsam enim hoc parum facit, eadem difficultate unionis, quæ revera est, & hæctenus ab ipso Dn. Præside, aliisque Theologis orthodoxis agnita fuit, semper manente, cum unicus etiam error hæreticus eandem impediatur, nec *solicite impugnat* Excellent. Dn. *Præceptor noster unionem*, quæ in fidei vera consanguinitate consistit, illam autem hæctenus detestatus fuit, quæ cum mendaciis, & fidei, veritatisque interitu, qualis ea quam *Ambrisetti* amicus colit & suadet, conjuncta est. Patet etiam Virum celeberrimum non *alterius famam arrosisse*, sed jure ineptias ejusdem notasse. Quid vero porro?

§. 21. *Ceteras*, inquit *Ambrisettus*, *subtilitates*, quas ibi habet non capio, ut nec illud, cum de non debito ordine questus est, nisi forsitan astringere velit Politicos, ut in exemplis Theologicis forte in quocunque scripto Politico allegatis, à *methodo compendiorum Theologiæ*, ne latum quidem unguem discesserint.

§. 22. Sed quod multa non capiat, sibi imputet: quæ si cepisset, & in illis refutandis ingenii vires expertus esset; unde, ne quod non potest, refutare cogatur, id se non capere confitetur. Deinde nescit quid garriat, ubi enim de *Methodo compendiorum Theologiæ* vel verbo? *bilem* certe sibi hic motam fuisse prodidit, hoc conquestus est de iis qui *zelum & amorem pacis habere videntur*, Vir Amplissimus, quod agant *sine debito ordine*, quem pius zelus & amor pacis ex veritate & fidei unitate, non cum hæresibus, *sancienda*, in tanto negotio observare debent; & quare non *Politicus ad methodum* fori Theologici jure *adstringatur*, si id, quod fori Theologici est, sibi tractandum sumsit, & è foro Politico in illo comparuit?

§. 23. *Quod*

§. 23. *Quod superest, addit noster, nec male tractat scripturas Amicus, nec partibus de religione controvertentibus falsa & non agnita attribuit principia, neque etiam conciliationem hoc modo querit, ut partes utrasque suis tenaciter inherere velit hypothesis, præcipue cum aliud & ex d. tract. de Rat. Stat. c. 21. & ex confutatione hac presenti, satis clare elucescat.*

§. 24. Ast ubi Pl. Venerand. Dn. Præses istum Nonneminem male scripturam tractare expresse dixit? Et dixerit, verum illud esse apparebit legenti alleg. c. 21. ad quod cum *Ambrisett.* provocare non dubitamus. Ubi amicum Tuum, quem fingis, *partibus de religione controvertentibus falsa & non agnita attribuire principia dicitur?* quanquam & verum hoc sit, cum modo, quid Calvinianos dicere de electione asseruerit, viderimus, idemque de *Invocatione Sanctorum Pontificia* infra probaturi simus; item, quod *querat conciliationem, ut partes utrasque suis tenaciter inherere velit hypothesis?* etsi & hoc negare nequeat, se, ut Pontificii & Calviniani suis erroribus anathema dicant, si nobiscum uniri velint, nusquam urgere. Certe affectuum vehementia ita mentem Tuam, *Ambrisette*, turbavit, ut parum candidus in citando fueris. Hoc dicitur: *Amicum tuum, ubi videt, stantibus partium hypothesis ad pacem perveniri non posse, fingere etiam sibi principia, ut ad unionem grassetur, quod verum esse infra constabit.*

§. 25. *Vides jam Benevole, & divinæ pacis studiose, Lector, quod se bene habeat Dn. D. Præsidis Theologi de Politico nostro iudicium: Ambrisettus vero temere, & non tantum non meriti sumo, quod homo jaçtabat, sed nullo prorsus jure illum, præfationemque arroserit. Progredere jam mecum, candide lector, ad scriptum quod contexuit confutatorium, ut vocat, ubi non rogandus eris, quod noster putavit, ut sine præjudicio & affectu omnia legas & conferas, sed pro momenti gravitate negotii dignitate, Tua denique æquitate & candore, sponte Tua certo id præ-*

*stabis.*